

LXXXI.

Nec aliâ de causâ, quàm Fidei Electorum durationis ergò, 2. Tim. 2.
10. *Solidum fundamentum DEI stat* (inquit Paulus) *habens sigillum hoc, NOUIT*
DOMINUS, QUI SINT SUI, & (ut nos quoq; docerimus) *addit: dis-*
cedat ab iniustitia omnis, qui nominat Nomen CHRISTI: Quæ verba adversus
aberrantes circa veritatē à scopo p̄tere, unde exstruitur sequēs syllogism⁹:

Quicumq; Deo ita, ut sui, sunt noti, ut nominantes Nomen Domini discedant ab ini-
quitate, eorum stat solidum Fundamentum, secundum æternum & immutabile
Electiois propositum.

Omnes verè Credentes sunt ejusmodi.

Ergò: *Omniū verè Credentium fundamentum stat solidum; eoq; sunt E-*
lecti. In quam sententiam etiam B. Johannes, 1. Joh. 2. expressè de egressis
ex ipsis ait: *Idcirco è nobis egressi sunt, quia non erant ex nobis. Quare? Nam si*
fuisset (inquit) ex nobis permansissent utiq; nobiscum, &c. ubi nihil aliud osten-
dit, quàm Electos Fide excidere non posse, sed unctionem quam acce-
perunt à Spiritu Sancto, in ipsis manere. v. 27.

LXXXII.

Consentiunt cum his, quæ habentur Rom. 8. 28. cum Apostolus in-
quit: *Novimus autem iis, qui diligunt DEUM, omnia conferre ad bonum, vocatis se-*
condum propositum. τοῖς ἀγαπῶσιν (inquit) τοῖς κατὰ πρόθεσιν κλητοῖς ἔσιν.
Ubi articulus postpositus non est Diacriticus, sed Exegeticus, hoc est, ha-
bet vim exponentis, ut sit sensus: *Omnes, qui DEUM verè diligunt esse vocatos*
secundum propositum, ideoq; fieri non posse quin omnia tandem conferant eis in bonum.

LXXXIII.

Ex quo sequitur, omnes verà, hoc est, per charitatem operante Fide
præditos, juxta æternæ Electionis propositum efficaciter esse vocatos, &
per consequens Electos, sicut in Apodixi de immotâ salutis nostræ cer-
titudine ad oculum demonstravimus; ut inter vocationem efficacem,
quæ est secundum propositum, & inter inefficacem, quæ constat sermo-
ne tantùm, nec ultra illuminationem mentis progreditur, maneat dilcri-
men; ne omnes existimentur donati vera fide, cum *multi sint vocati, pauci*
verò Electi, Matth. 22. v. 14.

LXXXIV.

Aut igitur negandum est, Fidem veram, quæ per Dilectionem opera-
tur, Definitionem vocationis efficaci ingredi, & hanc secundum DEI
propositum esse: Aut velis nolis, Fidem veram non nisi Electorum pro-
priam esse fatendum est, eoq; verè Credentium neminem in Spiritum
Sanctum